

quibus quatuordecim, quæ circa finem deerant, quæstiones, in quarumque locum totidem ex iis, quæ alibi in eo ipso uolumine habentur falso suppositæ fuerant, in suum locum restituendas curauimus. Qui error in omnibus est problematum libris qui ante Venetiis excusi leguntur.

Alexãdri Aphrodisiësis problemata duobus libris nō unquã ãte ìpressa eodẽ Theodoro ìterprete. Insunt præterea huic uolumini tractatus tres. Quorum primus est eorum omnium, quæ in Aristotelis animalibus, & Theophrasti plantis habetur. Alter est græcus secundum ordinẽ literarum, animalium plãtarumque omnium, de quibus in iis ipsis libris Aristoteles, & Theophrastus meminerunt, ut .s. ea in latinum traduxerit Theodorus. Addũtur & nomina partium omnium corporis, tum alia quædam haud scitu indigna. Tertius est latinus secundum literas alphabeti eorum ipsorum, quæ in græco tractatu notata uisũtur, Quod factum ideo est, quia operæ pretium existimauimus, scire studiosos, animalium, plantarumque omnium nomina, quæ in his libris habentur, & græce dicere, & latine.

Hos libros a Theodoro tralatos adeo utiles futuros existimauimus iis, qui græcas literas discere concupiscunt, atque cum græcis latina coniungere, ut nihil magis. sed eos ne pluribus laudẽ, facit Hermolaus Barbarus, qui sic de Theodoro ad Sixtum Pontificem in Themistii paraphrasin <sup>1</sup> scribit. Magnã, incomparabilemque iacturam non pridem fecimus Pontifex Max. in Theodoro Gaza, qui uir græcus latinus omnes ì hoc munere scribendi, interpretãdique superauit. Is si diutius uixisset, linguam latinam hac quoque in parte locupletasset. Quod & fecit his libris absolutissimis de animalibus Aristotelis, & Theophrasti de stirpibus. Hic unus mihi certare cum uetustate ipsa uisus est. hunc mihi quẽ colerem, quem imitarer, proposui. Ab huius scriptis adiutum me & fateor, & prædico. hunc ego non magnopere incuriosius legi, quam M. Tullium. Plinium. Columellam. Varronem. Senecam. Apuleium, & cæte-

1. La traduction latine par Ermolao Barbaro de cet ouvrage de Thémistius fut imprimée pour la première fois à Trévise, en 1481, in-folio. Le volume débute par une épître dédicatoire du traducteur au pape Sixte IV (Cf. Hoffmann, *Bibliographisches Lexicon*, t. III, p. 470).

